



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

420. An Capitulum possit Coadiutori limitare suam potestatem,  
authoritatem præeminentias concessas in literis Apostolicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Canonicos esse compellendos, ut Coadjutori Episcopo, seu qui est Episcopus, solenniter celebranti & pontificalia exercenti semper assistant; alioquin indecorum videri, si Episcopus sine Canonicorum assistentia celebraret &c. & n. 46. decere, ut Coadjutor Episcopus confessionem faciat cum sacerdote solenniter celebrante, & ut idem quoque in fine Missæ benedicat.

2. Resp. secundò: Coadjutori Canonici tenentur inservire & ministrare Canonici in omnibus functionibus canonicalibus, prout tenentur inservire Canonico Coadjuto. Barbof. de Canon. & Dign. c. 29. n. 54. Ventrigl. tom. 2. annot. 13. n. 33. juxta Declarat. S. Congreg. Rituum in Casalensi. 17. Jan. 1609.

*Questio 420. Vtrum Capitulum possit Coadjutori limitare suam potestatem, auctoritatem, præminentiam, concessas in literis apostolicis.*

R. Esp. negativè: uti nec potest illum non admittere ad servitium ecclesiæ. Ventrigl. loc. cit. citans Garciam.

*Questio 421. An, & qualiter Coadjutor lucratur fructus beneficii aut Dignitatis?*

1. R. Esp. primò: Coadjutor non potest consequi fructus ex beneficio Coadjuti. Barbof. lit. Eccl. l. 3. c. 10. n. 56. citans Navar. conf. 2. n. 3. de Cler. agror. Saraviam de jurisf. adjunct. q. 29. n. 26. Rotam decis. 285. l. 3. p. 3. divers. Sed reditus beneficii, quos lucratur Coadjutor, cedere debent Coadjuto. Remouch. c. 16. n. 1. & c. 14. n. 2. citans Barbof. ad Trident.

2. Resp. secundò: Coadjutor dignitatis habentis sibi annexam (intelligendum videtur stabiliter) præbendam, lucratur quoque (intellige Coadjuto) fructus præbendæ. Et in hoc casu verum est, quod lucrificat omnia Coadjutor in absentia Coadjuti, quæ is lucrificat residendo. Si verò præbenda hæc & nunchabita simul à constituto in Dignitate non est sic annexa, Coadjutor datus dignitati non lucratur nisi fructus competentes Coadjuto ratione dignitatis. Remouch. c. 16. n. 2.

3. Resp. tertio: Coadjutor Canonicus dignitatis per residentiam in qualitate Coadjutoris, si ve dum volente Coadjuto, vel necessitate ecclesiæ ita exigente administrat & residet, & illi honor ut Coadjutori deferretur, lucratur fructus dignitatis Coadjuto; non tamen potest lucrari simul sibi fructus præbendæ suæ juxta Remouch. loc. cit. num. 3. contrarium expresse tenente Castropal. tract. 13. d. 1. p. 10. num. 26, ubi: certum est Canonicum Coadjutorem Dignitatis sedentem in sede dignitatis lucrari fructus non solum dignitatis, sed etiam Canonicatus (intellige, hos sibi, illos Coadjuto) quia sedens in altiore loco dici potest inferiori assistere; secus verò (nempe non lucratur fructus Dignitatis, sed solum Canonicatus sui) si in loco Canonicatus sederet; quia tunc dici non potest ut dignitas inservire. De cætero quomodo teneatur Coadjutus de proventibus beneficii providere de congrua Coadjutori, dicitur paulò post, ubi de alimentis Coadjutoris.

\* \*

*Questio 422. An, & qualiter Coadjutor lucratur distributiones?*

1. R. Esp. Coadjutor lucratur distributiones quotidianas absente Coadjuto, sed non nisi in utilitatem Coadjuti. Fagn. in c. nulla. de concess. præb. n. 65. citans Navar. conf. 2. n. 3. de Cler. agror. Remouch. c. 14. Barbof. jur. eccl. l. 3. c. 10. num. 57. citans Trullench. in Decalog. l. 1. c. 8. dub. 6. n. 3. Congregat. Rit. in Columbriens. 16. Sept. 1606. Garc. de benef. p. 4. c. 5. n. 54. ubi, quòd omnia & singula, fructus, & reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones quotidianas, & alia emolumenta quæcunque, etiam anniversaria, manualia & alia quomodolibet nuncupata in quibusvis rebus consistentia, quæ per ipsum principalem, si personaliter divinis officiis tam diurnis, quàm nocturnis interest, lucrificari, & percipi possint in omnibus, & per omnia pro eo lucrari & percipere liberè valeat Coadjutor.

2. In casibus autem, in quibus Coadjutus, si præsens esset, & inserviret, non lucraretur distributiones; v.g. excommunicato Coadjuto, Coadjutus quoque nec sibi nec Coadjuto eas lucrabitur. Ventrigl. tom. 2. annot. 13. & 43. Garc. p. 4. c. 5. n. 86. Castropal. tract. 13. d. 1. p. 10. n. 16. Pignat. tom. 4. Consult. 185. n. 40. Gonz. gl. 5. §. 9. n. 125. citans gl. in c. 1. de off. Vicar. v. ipsius. Uti hoc ipsum ex tenore Coadjutoria probatur, dum dicitur, quòd possit Coadjutor interesse ac servire, ac lucrari perinde ac posset ipsemet proprietarius, si præsens fuisset; proprietarius autem excommunicatus quamvis præsens esset, lucrari non posset (excommunicatus enim nec fructus beneficii, nec distributiones durante excommunicatione lucratur, juxta c. pastoralis. de sent. excomm. & ibi DD. Gonz. loc. cit. n. 123. Jergo neq; Coadjutor, qui non laborat pro se, sed pro ipso Coadjuto. Gonz. n. 128.

3. Quòd si tamen Coadjutori esset ex fructibus aut distributionibus assignata congrua, usque ad illam lucrari posset, etiam si Coadjutus excommunicatus; quia tunc non lucraretur Coadjuto inhabili, sed sibi ipsi, cui defectus Coadjuti non debet nocere. Barbof. de Can. & Dignit. c. 29. n. 46. & ex eo Ventrigl. loc. cit. n. 43. Garc. loc. cit. n. 85. Castrop. loc. cit. Qualiter verò nihilominus teneatur inservire Coadjutor, etiam si Coadjuto ob ejus incapacitatem nihil lucratur, dictum est cap. præced. ubi etiam, qualiter Coadjutor infirmus, vel alio justo impedimento decentus habeatur pro præsentem, & lucratur distributiones; non tamen ratione studiorum aut doctioris absens.

*Questio 423. Coadjutori an, à quo, & unde subministranda alimenta?*

1. R. Esp. ad primum: Debetur Coadjutori, dum deservit, congrua sustentatio; qui enim altari deservit, de altari debet vivere. Castropal. tract. 13. d. 1. p. 10. num. 47. Gonz. gl. 5. §. 9. n. 33. Tondur. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13. n. 24. Tusch. lit. G. concl. 402. num. 10. Barbof. juris eccl. l. 3. c. 10. n. 26. Fagn. in c. nulla. de concess. præb. n. 64. Loquitur autè expresse de Coadjutore temporali. Ventrigl. tom. 2. annot. 13. n. 18. ubi: utcumq; sit Coadjutor, si ve datus à Papa cum futura successione, si ve ab Episcopo ad tempus, debet illi præstari competentis salarium, & portio ex fructibus beneficii Coadjuti pro ejus sufficiente victu.

2. Limitatur hoc ipsum primò: nisi Coadjutor ipse cesserit huic stipendio (ut communiter Coadjutores illi cedere solent contenti futura